

Innocentio XII die 23 Decembr. 1697, ut infra in adducendis eorum decretis potest aperte videri.

Nota Romani theologi.

Valor sacrificii missæ, seu vis et dignitas illius ratione rei oblatæ infinita est. Nam eadem victima est, quæ oblata pro nobis in cruce fuit, idem sacerdos, unum et idem proinde sacrificium, sola offerendi ratione diversum, ut ait Tridentinum. Ita ergo valoris est infiniti.

Responsio auctoris.

Dicit Rom. theol. quod valor sacrificii missæ seu vis et dignitas illius, ratione rei oblatæ, infinitus est, nam eadem victima est, quæ oblata pro nobis in cruce fuit, idem sacerdos, unum et idem proinde sacrificium, sola offerendi ratione diversum, ut ait Tridentinum. Ast quamvis sacrificium missæ in se et in actu primo, quatenus exprimit virtutem et sufficientiam sacrificii crucis, habeat valorem infinitum, sacrificium tamen missæ quantum ad applicationem et in actu secundo de quo loquitur mea conclusio, habet revera fructum, seu valorem tantummodo finitum; quia licet sacrificium missæ sit idem cum sacrificio crucis, et tota efficacia sacrificii missæ consistat in applicatione valoris Christi, ut ait concil. Trid., sess. xxii, cap. 1 et 2, hæc tamen applicatio fit finito modo et per partem, sic Christo volente, ob hanc differentiam inter sacrificium incruentum et illud cruentum, quod scilicet cruentum non sit reiterabile, incruentum vero potest et debet jugiter reiterari, ut in dies ubique servatur, adeoque quamvis sacrificium crucis fuerit et sit valoris infiniti, quum Christus, qui voluit tantum semel mori etiam unico crucis sacrificio voluerit omnia impetrari; e contra vero, quia voluit sacrificium missæ multiplicari, etiam voluit per illud merita suæ passionis per partes applicari, sique finite et limitate; alias sequerentur illa inconvenientia a me allegata l. c., num. 15 et 16, et ab aliis passim. Unde firmiter sic tenenda est mea sententia, uti eam tenent S. Thom., S. Bonav., Scotus, locis a me cit.; Eminētiss. cardin. Gottus, quæst. 2, dub. 1, § 2, *De valore et subjecto sacrificii missæ*; P. Daniel Concina, lib. de Eucharist., iii, dissertat. 2, De sacrificio missæ, c. 3; Mastrius in q., disput. 4, q. 6, num. 117; Clericatus, *De sacrificio missæ*, decis. 33, num. 35 et sequent., cum pluribus aliis ibi cit. Pasqualig., *De sacrificio missæ*, q. 119, num. 3 et 4, ubi plures doctores cumulat; card. Bellarm., lib. ii *De missa*, c. 4, proposit. 4; card. Toletus, lib. ii, cap. 6 et 8; Gavant., part. ii, tit. 8, num. 3, et alii, quos citat et sequitur Laym. l. v, tract. 5, c. 1, num. 9; Reiffenstuel, *Theol. moral.*, tract. 4, *De sacramentis*, dist. 5, quæst. 5, conclus. 1, instans de communi, paucis exceptis; Felix Potestas, *De sacrificio missæ*, num. 234; Henno, tom. ii, *De eucharist. sacram.*, disput. 2, concl. 2, ubi multa tradit ad rem,

allegans etiam D. Thom. in 4, dist. 43, art. 4, quæst. 3, ad 2, ubi docet quod quamvis sacrificium missæ infinitam contineat virtutem, illa tamen limitatur ad determinatum effectum, quod confirmat praxis Ecclesiæ plura sacrificia non solum pro diversis, sed etiam pro eodem sive vivo, sive defuncto, offerentis et sic alii passim.

(17. Ad hujus articuli complementum in tyronum gratiam animadvertendum est, vi verborum consecrationis panis, sub speciebus ejusdem poni solum Christi corpus, et in consecratione vini sub speciebus vini, vi verborum poni duntaxat sanguinem Christi; nam id vi verborum ponitur sub speciebus respective, quod verba consecrationis directe et immediate ex institutione Christi signant. Sed verba consecrationis panis, solum Christi corpus, et verba consecrationis vini, duntaxat sanguinem directe et immediate loquendo signant, ergo, etc. At sub speciebus panis, post Christi Domini resurrectionem, venit etiam per concomitantiam sanguis Christi in consecratione panis et sub speciebus vini venit etiam corpus Christi in consecratione vini, nec non in utraque consecratione per concomitantiam venit Christi divinitas et anima: per concomitantiam enim venire, est fieri præsens sub speciebus vi naturalis et physicæ connexionis, quam ad invicem habent ea, quæ sunt Christi Domini; sed corpus Christi nunc est cum sanguine, anima et divinitate, nec non sanguis cum, etc.; ergo, etc. Ad propositum optime facit pro pleniori perceptu, ac sensu sequens exemplum; si aliquis apostolus in triduo mortis consecrasset, tunc vi verborum consecrationis panis, sub ejusdem speciebus posuisset corpus Christi; efficiunt enim consecrationis verba id quod significant, at non venisset per concomitantiam sub hostia sanguis et anima Christi, eo quia pro tunc haud hæc unita et connexa erat cum corpore Christi, bene vero per concomitantiam advenisset sub hostia divinitas, quod enim verbum divinum semel assumpsit, nunquam dimisit, fuitque idcirco Christi corpus semper Divinitati unitum, et similiter est suo modo dicendum respectu consecrationis vini in eodem hypothetico casu, atque hinc, ut patet, clarius liquent quæ supra, nec non perpendenti fit obvium qualiter per mysticam vi verborum separationem corporis et sanguinis Christi præfatam inuatur in missa ratio sacrificii. Et equidem prædicta luculenter constant ex Trid., sess. xiii, cap. 3, ubi sic habet: « Et semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis et sanguinem sub vini specie ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque vi naturalis illius connexionis, q. 43

partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur; divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem. »

(18. Est etiam præ oculis habendum, tritum esse Catholicis ex cit. Trident. sess. 13, can. 2, quod « si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis et vini una cum corpore, et sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam, et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis, et vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime transubstantiationem appellat, anathema sit. » Ac proinde dum Apostol. I ad Cor. cap. ii, vers. 26, inquit: *quotiescunque manducabitis panem hunc, etc.*, id intelligi debere transitive, seu distractive, scilicet id quod antea erat panis, vel dicitur panis extrinsece, eo quia remanet accidentia panis, vel analogice, quia nempe sicuti panis nutrit corpus, sic Eucharistia nutrit animam et ita de similibus ratiocinare.

(19. Item tritum est Catholicis, transubstantiatione peracta, corpus Christi sub speciebus panis et sanguinem sub speciebus vini tamdiu manere, quandiu conservaretur naturaliter substantia panis et vini, Christus enim in loco panis et vini, ut supra relatum est, succedit ex institutione sacramenti; et sicut panis et vinum, si adessent, nutrent, sic et species sacramentales, Deo supplente id, quod præstaretur a pane et vino, nec non si species alterarentur ad corruptionem, verumque generatorem, sinente Deo causas secundas motus suos agere, ab ipso supernaturaliter, eodem instanti, quo species ita sunt alteratæ, ut non posset sub eis naturaliter conservari panis et vinum, ibi creare materiam, ac in ipsam eam introducere substantialem formam, quæ in panis corruptione fuisset genita.

(20. * Materia sacrificii missæ est panis triticus, et vinum ex uvivis. Si vero magna esset permistio farinæ ex aliis frugibus, et permistio aquæ vinum superaret, hæc materia inepta esset consecrationi. Nec post consecrationem novus liquor, et præsertim aqua, in calicem infundendus est. Alioqui censet S. Thomas, corruptionem sacramenti sequi potuisse pro aliqua parte, nisi forte quantitas novi liquoris tantilla esset, ut non posset in omnes partes diffundi. Hæc tamen sententia non æque a scholasticis omnibus probatur.

(21. Ad essentiam sacrificii necessaria est utriusque speciei consecratio, quod etiam in prima sua institutione a Christo Domino servatum est, ex quo fit, ut nemini permitti unquam possit consecratio sub unica tantum specie, quamquam si hoc fieret a sacerdote, consecratio quidem valeret, sed ille gravi se crimine obstringeret, et sacramentum quidem, non vero sacrificium con-

ficeret; deesset enim tunc mystica victimæ maclatio.

(22. In forma consecrationis defectus accidere possunt, qui invalidam, et defectus, qui illicitam tantum illam reddant. Illicitam dicas, si omittatur vox *enim*, et verbum *est*. Item si loco vocis *hoc*, dicatur *istud*. Invalidam, si pro *hoc* substituatur *illud*, vel *hic* pro adverbio sumptum. Dubium est, an invalida sit consecratio calicis, illis tantummodo verbis prolatis: *Hic est calix sanguinis mei*, cæteris omissis, ideoque si id forte contigerit, repetenda sub conditione verba consecrationis vini.

(23. Sacerdos verba consecrationis profert super panem et vinum, sed extra missam, valide quidem, sed illicite consecrat, nam tota vis consecrationis in verbis Christi consistit. Hæc ex tract. Bened. XIV *De sacrif. missæ*, lib. iii, cap. 13, n. 2, etc.

(24. Alia ad rem; vide verb. SACRIFICIUM.

ARTICULUS II.

Missa quoad applicationem, reductionem, satisfactionem, et eleemosynam.

SUMMARYUM.

1. Ut quæ sunt observanda circa celebrationem missarum, ab omnibus perfecte sciantur, dantur hic ad litteram omnia disposita a sacra Congregatione Concilii, confirmata ab Urbano VIII et Innocentio XII. — 2. Affertur integre emanatum decretum. — 3. Non potest recipi stipendium pro applicatione fructus personalis, seu specialissimi correspondentis ipsi sacerdoti celebranti. — 4. Affertur ad id decretum sacre congregationis Concilii. — 5. Affertur ad id etiam propositio damnata ab Alexandro VII. — 6. Non potest recipi stipendium pro pluribus sacrificiis, et unum solum sacrificium offerri. — 7. Non potest unica missa satisfieri duplici obligationi, applicando uni fructum satisfactorium, et alteri impetratorium. — 8. Ex quibus manifeste patet non posse sacerdotem alicujus congregationis, et regularem cujuscunque ordinis unica missa satisfacere duplici obligationi, quam habet applicandi missam, et pro presbytero suæ congregationis, vel religioso sui ordinis, seu provincie defuncto. — 9. Non potest missa anticipate celebrari, et applicari pro eo, qui primo stipendium, seu eleemosynam dedit. — 10. Applicatio missæ facta a religioso subdito prævalet applicationi factæ a superiore, et sic valet illa subditi, et non illa superioris. — 11. Vivens probabiliter invalide applicat animabus purgatorii omnes missas pro se defuncto applicandas. — 12. Episcopi et generales non possunt amplius reducere, et moderari missas post concilium Tridentinum receptas; nec impositas in limine foundationis, quamvis ante concilium. — 13. Poterit tamen episcopus onera et missas reducere, ac moderari, si id ei sit concessum in fundatione beneficii. — 14. Nec etiam possunt episcopi et generales, et a fortiori ipsi beneficiati ex se missas reducere, etiamsi fructus fundi assignati deteriorati fuerint, et evaserint tenuiores sine propria culpa. — 15. Generales religionum nequeunt amplius uti antiquis privilegiis dispensandi cum suis subditis, ut celebratione unius missæ cum novem collectis possint satisfacere pro novem missis. Nec parvas eleemosynas acceptas pro missis conjungere ad summam unius Julii, et per unicum missam omnibus satisfacere. — 16. Facientes celebrari ab aliis missas minori eleemosyna, quam ipsi receperint, quas pœnas incurrant? — 17. Indulta, quæ ab Apostolica

Sede fuerunt concessa pro moderandis missarum oneribus non suffragantur ad reducenda onera per contractum suscepta. — 18. Quomodo intelligi debeant verba illa: *dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere a sacr. congreg. posita ad 11 decr. De celebr. missarum?* — 19. Missarum reductioni locus non est, si universa hereditas fuit gravata, nec heredi prodest fundi assignatio, si progressu temporis impares oneri redduntur ejus proventus. — 20. Missarum reductio non conceditur, si pro celebratione non fuit assignatus fundus, sed gravati heredes certam summam solvere. — 21. An missarum reductioni sit locus, si per contractum fuit earum onus susceptum? ad n. 22. — 23. An, et quando admittatur, vel non, compensatio missarum, quæ ultra debitum sunt celebrata, cum missis deinceps celebrandis? — 24. Quamvis census in aliis veniant appellatione immobilium; non sic tamen quando pecunia investienda est in stabilibus pro celebratione missarum. — 25. Affertur ad rem particularis concessio Benedicti XII. — 26. Alia notabilia ad rem ad n. 50. — 51. Subnectuntur *Addit. ex alien. manu*, ad n. 75.

(1. Ut quæ sunt observanda circa celebrationem missarum ab omnibus perfecte sciatur, dantur hic ad litteram omnia disposita a sacra congregat. Concilii, confirmata ab Urbano VIII et Innocentio XII in decreto ut sequitur:

(2. « Nuper a congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum prodierunt decreta tenoris infra scripti, vide licet:

« Alias super celebratione missarum, ac prohibitione illas moderandi, seu reducendi absque Sedis Apostolicæ licentia, nec non supra earumdem oneribus perpetuis suscipiendis, et religiosorum numero ultra reditus, et consuetas eleemosynas locorum regularium, non habendo, emanarunt ab hac sacra congregatione S. R. E. Cardinalium concilii Tridentini interpretum auctoritate per fel. rec. Urbanum Papam VIII illi specialiter attributa, quamplura decreta tenoris sequentis:

« § 1. Cum sæpe contingat in quibusdam Ecclesiis tam magnum missarum celebrandarum numerum, ex variis defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri, et tamen nova onera missarum in dies suscipiantur, indeque fiat, ut depereant piæ instantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animæ suffragiis priventur, Ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac Christi fideles gravi scandalo affecti, plerumque a similibus charitatis operibus retrahantur; cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod ii, qui missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciores numerum a superioribus reductum iri; aut quod ecclesiis, sorte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera missarum absque ullo emolumento, aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis, ut non facile inveniantur, qui velint huic se muneri subjicere, et reditus ecclesiæ, aut

« monasterii adeo exigui, ut sacerdos pro necessaria sui sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur, sac. congreg. Cardin. concilii Tridentini interpretum animadvertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitativam, ac justitiæ maxime consentaneam, si pro viribus satagat hunc teterrimum abusum e Christiana republica convellere, atque eradicare: Sanctissimi D. N. Urbani divina providentia Papæ VIII auctoritate sibi specialiter attributa, infra scripta decreta edidit.

« § 2. Ac primo districtè prohibet, atque interdicat, ne episcopi in diocæsana synodo, aut generales in capitulis generalibus, vel alias quoquomodo, reducant onera ullâ missarum celebrandarum, aut post idem concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes, et commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

« § 3. Deinde, ubi pro pluribus missis, etiam ejusdem qualitatis, celebrandis, stipendia, quantumcumque incongrua, et exigua, sive a pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum sacerdotibus, ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, monasteriis, conventibus, congregationibus, ac locis piis quibuscunque tam sæcularibus, quam regularibus; sacra congregatio, sub obstestatione divini iudicii mandat, ac præcipit, ut absolute tot missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant: quinimo graviter peccent, et ad restitutionem teneantur.

« § 4. Id vero ut deinceps observetur exactius, sacra congregatio eadem auctoritate revocat privilegia et indulta omnia quibusvis personis, ecclesiis, ac locis piis, tam sæcularibus quam regularibus, cujuscunque ordinis, congregationis, et instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum missarum, vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.

« § 5. Ac similiter omne damnabile luctum ab Ecclesia remove volens, prohibet sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

« § 6. Præterea, ne in ecclesiis, in quibus onera missarum in perpetuum imposita sunt, sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores, ac segniores red-

« dantur, quod onera hujusmodi cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta; statuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, congregationibus, monasteriis, conventibus, ac locis omnibus, tam sæcularibus, quam regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo missarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu ecclesiæ ipso facto incurrenda, a die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes eadem sacram, vel personam fidei et facultatibus idoneam, vel effectum illa, seu illorum pretium quamprimum investendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, et individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

« § 7. Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium sub eadem pœna, ut supra, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum eisdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

« § 8. Ad hæc sacra congregatio, quibusvis capitulis, collegiis, societatibus et congregationibus, nec non omnibus et singulis ecclesiarum, ac piorum locorum, tam sæcularium, quam regularium superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districtè prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant missarum celebrandarum, sæculares quidem sine episcopi, vel ejus generalis vicarii, regulares vero sine generalis, vel provincialis consensu et licentia in scriptis et gratis concedenda, alioquin sæcularis, qui hujus prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu ecclesiæ interdictus sit eo ipso: regularis vero pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ, ac passivæ, absque alia declaratione incurrat.

« § 9. Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro missis celebrandis, ita demum iisdem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant: alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, et capsulas auferant ab ecclesia cum inscriptione illa: *Eleemosyna pro missis*, vel alia simili, sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrantur.

« § 10. Episcopus vero, seu ejus vicarius, aut generalis, vel provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirent, de singulis missarum celebrandarum obligationibus cujuscunque ecclesiæ, monasterio, aut loco pio incumbentibus: nec antea assensum hujusmodi, aut licentiam præbeant, quam eis legitime constitit, illius sacerdotes, tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis jam susce-

« ptis satisfacere posse, præcipuamque rationem habeant, ut redditus, qui ecclesiis et locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis secundum morem cujusvis civitatis, vel provincie, intelligantque, si in re tanti momenti, desides, aut negligentes fuerint, in novissimo die, se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros.

« § 11. Postremo illustrissimi Patres non sine gravi animi dolore intelligentes, mala fere omnia quæ regularem disciplinam evertunt, ac præcipue nimiam hanc facilitatem fovent in oneribus missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infesta radice pullulare ex majori regularium numero, quam ferant redditus et eleemosynæ, usque monasterii, inhærentes Summorum Pontificum ac sacri concilii Tridentini decretis, hac de re editis, sanctissimi domini nostri auctoritate præcipiunt, ac mandant omnibus et singulis, generalibus, provincialibus, commissariis, ministris, præsidentibus, abbatibus, prioribus, præpositis, guardianis, vicariis et quibuscunque aliis superioribus monasteriorum, conventuum ac domorum regularium, bona immobilia possidentium vel non possidentium, cujuscunque ordinis, congregationis et instituti existentium intra fines Italiae et insularum adjacentium, ut singuli ad quos pertinet, in qualibet provincia adhibitis duobus aut tribus regularibus sui ordinis vel congreg. probatoribus et rerum usu peritoribus, bona immobilia, census, redditus et proventus omnes, consuetas item eleemosynas et obventiones tam communis monasteriorum, conventuum et domorum ejusdem provincie, quam etiam singularibus personis religiosis assignatas, seu permissas in communem usum deinceps conferendas, decem annorum immediate præcedentium habita ratione, diligenter et mature recognoscant, iis omnibus detractis, quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliæve cujuslibet generis onera consueverunt absorbere.

« § 12. Eaque omnia scripto fideliter exarata, idem superior cujus interest in proximo capitulo seu congregat. generali vel provinciali coram tribus iudicibus ab ipso somet capitulo seu congregatione diligendis proponat, qui computatis hujusmodi redditibus, eleemosynis et oneribus ut supra, detractis, sedulo examinent quot religiosi homines, connumeratis etiam laicis, aliisque necessariis servientibus in unoquoque monasterio, conventu et domo regulari, juxta regionis et proprii instituti morem, victum, et vestitum, et medicinalia in communi habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorundem bonorum reddituum, eleemosynarum et onerum præcisam notam ipsimet capitulo seu congregat. exhibeant, ut in illo diligenter omnibus discussis, cujusque familiarum monasterii, conventus, ac domus regularis, in singula quaque provincia certas

earum tantum personarum numerus Patrum capitularium voto, præfigatur quæ redditibus, eleemosynis et obventionibus, ut superius sufficienter ali possint.

§ 13. Ne vero superiores, qui id præstare debent, serius aut remissius quam par est, suo muneri satisfaciant: mandat sac. congreg. ut infra annum, post proximum capitulum generale vel provinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter gesta in authenticam formam reducta ad sacram ipsam congregationem concilii singuli mittant.

§ 14. Numerumque familiæ singulorumque conventuum, monasteriorum et domorum hujusmodi regularium, capituli seu congregat. generalis vel provincialis sententia et auctoritate præfinitum iidem superiores tam generales et provinciales omnes quam locales, perpetuo servare omnino teneantur, nec possint illum quomodo augere, etiam prætextu augmenti reddituum absque sacræ ipsius congregationis licentia; superiores autem hujusmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præstiterint, vel numerum, ut supra præscriptum, quovis modo augere præsumperint, privationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt vocisque activæ ac passivæ, et ad omnia suæ religionis officia et gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere, atque aliis, etiam gravioribus a Sede Apostolica infligendis pœnis sac. congregat. subjacere voluit et declaravit.

§ 15. Deinceps vero monasterium, conventus, domus, congregat. vel societas religiosorum, seu regularium nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita in singulis hujusmodi locis duodecim saltem fratres, aut monachi seu religiosi degere, et ex redditibus, et consuetis eleemosynis, detractis omnibus, ut supra, detrahendis, competenter sustentari valeant, ad præscriptum decreti fel. recor. Gregorii XV hæc de re editi: alioquin monasteria et loca hujusmodi posthac recipienda in quibus duodecim religiosi ut supra sustentari, atque inhabitare non poterunt et actu non inhabitaverint, ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur.

§ 16. Porro ne ullo unquam tempore hæc in oblivionem, seu desuetudinem abeant, superiores locales cujusque monasterii, conventus ac domus regularis curare, atque efficere teneantur, sub pœna privationis officii, vocisque activæ et passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, id est feria secunda post primam Dominicam Adventus et feria sexta post octavam Corporis Christi, præsentibus ordinationes in publica mensa perlegantur.

§ 17. Omnibus tam ecclesiasticis personis cujuscunque sint ordinis, conditionis et gradus quam laicis, quocunque honore et potestate præditis, præsentia decreta

declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

§ 18. Non obstantibus quoad suprascripta omnia et singula in præsentibus decretis contenta, constitutionibus et ordinationibus apostolicis in favorem quarumcunque personarum atque ordinum, tam mendicantium quam non mendicantium, militiarum etiam sancti Joannis Hierosolymitani, congregationum, societatum, ac cujuslibet alterius instituti, etiam necessario et in individuo exprimendi ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, collegiorum, capitulorum, hospitalium, confraternitatum et aliorum quorumcunque, tam sæcularium, quam regularium locorum, superiorum, nec non illorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quamvis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis, etiam mari magno seu bulla aurea aut alias nuncupatis sub quibuscunque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extinctionis concessis et iteratis vicibus approbatis et innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus et formis, specialis et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omissum et forma in illis tradita et observata inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quoad ea quæ præsentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, sac. congregat. Sanctitatis Sæc. auctoritate specialiter et expresse derogat, cæterisque contrariis quibuscunque.

§ 19. Et ne præmissorum ignorantia a quoquam prætendi possit, voluit eadem sacra congregatio ut præsentibus ordinationes in valvis basilicarum sancti Joannis Lateranensis et principis apostolorum de Urbe, ac in acie Campi Floræ, ut moris est, affixæ omnes ad quos pertinent ita arceant et afficiant, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

§ 20. Utque earundem præsentium transumptis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ manitis, eadem prorsus fides adhibeatur quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ die 21 Junii 1625.

COSMUS, card. DE TORRES.

Prosper FAGNANUS, sac. cong. secr.

§ 21. Excitatis autem super præmissis

rum decretorum intelligentia seu interpretatione infra scriptis dubiis, prodierunt a memorata congregatione simili auctoritate illi a præfato Urbano Papa VIII specialiter attributa, responsiones seu declarationes inferius apponendæ.

Super primo sacræ congregationis decreto de celebratione missarum, quo prohibetur ne episcopi in diocesana synodo aut generales in capitulis generalibus, vel alias quoque modo reducant onera ulla missarum celebrandarum aut post idem concilium imposita, aut in limine foundationis.

Quæritur quid: si legatum sit ita tenere ut non sit qui velit onus illi injunctum subire, et si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?

Et quid si permittatur episcopo in foundatione ut possit hujusmodi onera moderari?

Secundo, super secundo ejusdem congregationis decreto quo cavetur ut celebrentur tot missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint?

Quæritur an verba in præscriptæ fuerint intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente vel ab ordinario?

Tertio, an cum ordinarius præscriperit eleemosynam congruam juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, sacerdotes accipientes stipendium minus congruo teneantur missas illis ab offerente præscriptas celebrare?

Quarto, an sacerdotes, qui tenentur missas celebrare ratione beneficii seu capellæ, legati aut salarii, possint etiam manuales eleemosynam pro missis votivis aut defunctorum recipere et unico missæ sacrificio utrique oneri satisfacere?

Quinto, posito quod testator relinquat ut celebrentur pro ejus anima centum missæ absque ulla præscriptione eleemosynæ?

Quæritur an liberum sit hæredibus eleemosynam sibi bene visam præscribere, an vero eadem eleemosyna præscribenda sit ab ordinario?

Sexto, super tertio congregationis decreto in quo eadem congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur ut certarum missarum vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis seu orationibus, plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat;

Quæritur an verba in futurum suscipiendis intelligenda sint de oneribus suscipiendis post privilegium?

Septimo, super quarto ejusdem congregationis decreto, quo prohibetur sacerdoti, qui suscepit missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Quæritur an permittendum sit administratoribus ecclesiarum ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro ex-

pensis manutentionis ecclesiæ, altarium inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ et similium?

Octavo, an hoc decretum habeat locum in beneficiis quæ conferuntur in titulum, id est an rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum beneficii?

Decimo, an sacerdotes, quibus aliquid quando offertur eleemosyna major solita pro celebratione missæ, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus missas celebrandas committunt; an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

Undecimo, super quinto ejusdem congregationis decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba: eleemosynas vero manuales et quotidianas pro missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant: alioquin omnino abstante ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, et capsulas auferant, etc.

Quæritur an hoc decretum prohibeat absolute, quominus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt, et quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Duodecimo, quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut sacerdos missam celebret cum primum poterit?

Decimo tertio, an pœna interdicti, et aliæ appositæ in eodem decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quam eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præcipitur?

Decimo quarto, an in hoc decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in ecclesiis in die commemorationis omnium defunctorum et vulgo dicuntur *casse d'e morti*.

Decimo quinto, an administratores ecclesiæ, magnæ devotionis et concursus, possint eleemosynas pro missis celebrandis accipere, si iisdem missis, non nisi post longum tempus, satisfacere valeant, ne alias cultus ecclesiæ et devotio, ac concursus fidelium, ut aiunt, minuantur.

Decimo sexto, quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directis capitulis, collegiis, societatibus, congregationibus, nec non omnibus et singulis ecclesiarum, piorum locorum tam sæcularium, quam regularium superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali et aliis ad quos pertinet, supplicatur pro opportuna declaratione.

Decimo septimo, super septimo ejusdem sacræ congregationis decreto, quo cavetur ut in singulis monasteriis religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis